



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

De vigilis cura & labore contra tentationes. XIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

cor suum in puritate custodit. Citò & liberè ad Deum anima pura pergit, & super omnia mundi condita euolat, quæ in terris nil commodi vel honoris concupiscit. Charitas Christi omnia vincula mundi soluit, omnia onera leuia facit; & quacumque Deo placent, fideliter implere satagit. Vnde cum Christo orat, & dicit: *Pater non mea voluntas, sed tua semper & ubique fiat.*

1 Pet. 2.5.

CAPVT XIV.

De vigili cura & labore contra tentationes.

1 Iob. 4.

1. **R**esistite diabolo, & fugiet à vobis. Vbicumq; fuerit bonus homo occupatus cù Deo, orando, meditando, studendo, scribendo, ibi assunt angeli sancti congaudendo, assunt & daemones ipsum tentando & distrahendo. Cum inceperis orare, fugiunt daemones, quasi ab igne sancti Spiritus; & cum volueris fabulari, redeunt omnes celeriter ad excitandos rumores inanes. Si autem superuenerit bonus prælatus, dissipabit mox omnes fabulantes, & arguet ocio vacantes, & bona opera negligentes. Maneas ergo in silentio, & cogita de Deo tuo pro solatio habendo: & liberaberis de tædio boni operis, perseverans in bono, incepto.

2. Esto fidelis in modico, & lucraberis decem milia talenta in regno superno. Non sis ociosus in secreto, nec verbosus in publico, & fugiet diabolus victus à taciturno. Odit enim laborantem & tacentem, orantem & bona meditantem. Vbicumque fueris solus vel cum alijs, oportet te certare, vigilare, & orare contra tentationes carnis & spiritus. Certa fortiter, ora feruenter, labora diligenter, stude frequenter, tace libenter, sustine patienter. Spera in Domino semper, quantumcunque fueris tribulatus & desolatus vehementer. Qui seipsum in omni loco & tempore ponit ad patientiam, maiorem nunc habebit pacem, & de aduersarijs victoriam, & in futuro cum electis clariorem gloriæ coronam obtinebit.

CAPVT XV.

De fraterno onere inuicem portando.

Galac. 6.

1. **A**lter alterius onera portate. Quoniã quidem omnes in Christo vnum sumus, ideo fraternam charitatem tenere debemus in vinculo pacis, & in bono semper concordare. Omnes Christi membra sumus, renati in baptismo per gratiam Spiritus sancti, passione Christi redempti, sanguine Christi mundati, corpore Christi refecti, verbis Christi eruditi, miraculis Christi confirmati, exemplis Christi ædificati. Cur ergo alter alteri nocetis,
fratres